


Lebrecht Friedrich Benjamin Lentin

**Observationum Medicarum ...**

**Fasc. 2**

Cellis Luneburgicis: Gsellius, 1770

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818663871>

Band (Druck) Freier  Zugang





Ma - 3421. (2.)



LIBRARY

UNIVERSITY OF

ROSTOCK

1800

OBSERVATIONVM  
MEDICARVM  
FASCICVLVS II.

AUCTORE

LEBR. FRIDER. BENIAM.  
LENTIN

M. D. ET IN COMITATV DAN-  
NEBERGENSI PHYSICO.




---

CELLIS LVNEBVRGICIS *9i*

MDCCLXX,

APUD GEORGIVM CONRADVM GSELLIVM.

OBSEKVATIONEN  
MEDICARUM  
FASOICVLVS II  
AVDOR  
LEHR. RAIDER. BENIAM.  
LENTIN



DELLIS F. N. B. H. C. O. S.  
M. D. C. C. C. C. C.  
ALVA GEORGIUM OXONIVM C. E. L. L. I. A. M.



P R A E F A T I O .



*In summam, diuinationum  
Hippocraticarum admi-  
rationem saepissime nu-  
mero correptus sum, dum stabiles et  
aeternum veras, in quamplurimis  
meorum aegrorum inuenerim. Ita*

) ( 2                      exem-



PRAEFATIO.

*exempli gratia: Abscessus, HIPOCRATES Coac. praenot. inquit circa aures in morbis diuturnis suppurati, non valde albo et inodoro pure, occidunt, et maxime mulieres. Quod effatum verissimum deprehendi, in muliere quatragesaria, quae diu febrem iam aluerat. Frustra enim omnem impendebam operam, corrigendae et eliminandae materiae febrilis, cum natura abscessum circa aurem moliretur. Ducebatur ad suppurationem, cum discuti non potuisset. Verum, de die in diem contabescebat, glandulae colli*

*in*

## PRÆFATIO.

*in consensum trahebantur, et supremum obibat diem. Alio iterum loco idem diuinus senex mortem prænunciat iis, quibus ex dentis corruptione febris superaccedit et delirium. Id in vno Equitum vidi, qui tertio iam die extremum vitæ spiritum efflabat. Et sic in pluribus, quorum morbi decursus a peruersa medendi methodo e suo tramide deflexus non erat, vestigia Hipocratis vidi. Et sane curiosiori morborum, eorumque mutationum in alios, quin cõtionum, vel saltem conaminum, a Medico suffulciendorum, vo-*

## PRAEFATIO.

*cem naturae vocant, obseruatori, maius vel grandius quoduis non potest contingere gaudium, ac a sedula naturae, et eiusdem Praeconis vaticiniorum, collatione proficiscitur. Nulli autem datum est huiusmodi gaudia experiri, quam cui simul datum est suo tempore naturae moliminibus imperare, et rursus suo tempore auscultare. Frustra enim expectes praedictam ab Hippocrate morbi enodationem, si motus quosuis, quandoque Aegro molestiam parientes, ad praeparationem, et conditionem materiae morbificae*

PR AEFATIO.

bificae tamen quam maxime necessarios aut suppresseris, aut alio tempore nimium quam par est ignem, per calidiora substraueris. Non desunt prohi dolor! Medici, qui officio suo minore famae applausu defungi credunt, nisi bis, terue viso paroxismo febrili, aegrum tumulo Chinae Chinae sepeliant; summamque gloriam in cito sanare positam esse atque arroganter nimis satagunt, aliisque contemptui habent cautiùs de pelle humana cogitantibus, alterando, motus irregulares, criticam conditionem remoratu-

PR AEFATIO.

ros compescentibus, et fomitem febrilem e suis latebris eliminantibus, sibi que maximo negotio proponentibus, aegrorum res saluos, et quidem diu saluos reddere. Observantur hinc hodie num plus Phthisicorum, Haemoptycorum, Arthridicorum, et turba qui Anomalias haemorrhoidales patiuntur debilitum corporum, ac quondam, non aliunde quaerendorum, quam a praecipiti huius remedii adhibitione. Sanantur quidem nonnunquam eadem infirmitates eodem remedio, verum anne idem tutor esse potest ac hostis?

Non

## PRÆFATIO.

Non omnes autem febres imperi-  
um corticis peruuiani agnoscunt  
quam armis exutae, e quorum cen-  
su illae sunt, quae exanthemata sca-  
biosa, prurientia, aut saniem, aut de-  
num furunculos in suo sinu habent.  
Vel illae quae a nimia neruorum sen-  
sibilitate oriuntur. De quibus sigilla-  
tim Obs. XVIII. et XIX. sermo erit.

Habentur praeterea in hoc altero  
fasciculo, aut rariores obuiam mor-  
bi, aut remedia diligenti obserua-  
tione enata, aut demum ea quae ad

PRAEFATIO.

*diagnosin suae prognosin in morbis  
spectant. Nullo ordine de industria  
dispositae sunt observationes, ut va-  
riatione delectem. Ut autem B. L.  
facili opera, et uno conspectu<sup>u</sup> ha-  
beat, quae in hoc altero continentur  
fasciculo, eorundem<sup>o</sup> titulos enarra-  
re volui.*

Indoles febris An. 1765. graffantis  
Obs. I.

De Seneca radice, eiusque  
viribus in inflammatione  
pleurae et pulmonum Obs. II.

De Mercurii sublimati cor-  
rosiui efficacia Obs. III.

De Corticis peruuiiani viri-  
bus in sphacelo Obs. IIII.

Vario-

*PRAEFATIO.*

- Variolae Annorum. 1766  
et 1767. Obf. V.
- De Hydrope particulari Obf. VI.
- De Eryfimo Obf. VII.
- De Languore fcorbutico  
cum maculis latis velut  
ambuftis Obf. VIII.
- De Carcinomate Obf. VIII.
- De Hepate fcirrhofo Obf. X.
- De Lienis infarctu Obf. XI.
- De Haemorrhagia narium Obf. XII.
- De inteflinorum Erofione Obf. XIII.
- De melancholia Hy-  
fterica Obf. XIV.
- Cogitata de Conceptu spe-  
ciatim vero de illo prae-  
ternaturali Fasc. I. Obf.  
XXXIII. commu-  
nicato Obf. XV.
- De



PRAEFATIO.

De nonnullis morbis folis  
externis remediis sana-  
bilibus Obs. XVI.

Primo. De *Diarrhoea*  
suffimigio sananda.

Secundo. De Spiritus  
Therebinthinae ex-  
terne adhibiti in ca-  
tharrho puerorum  
efficacia

Tertio. De Otagia suc-  
co rutae hortensis  
profliganda.

Quarto. De alui obstru-  
ctione fotu brassicae  
esculentae crispae re-  
feranda.

Quinto. De Camphorae  
in Podagra praeclaro  
vsu, nec non de  
Hirudinibus.

De

*PRAEFATIO.*

De infortunio ex adhibito  
mercurio sublimato cor-  
rosiuo. Obs. XVII.

De corticis peruuiani mer-  
curio nupti ad febres  
rebelles virtutibus Obs. XVIII.

De febribus spasticis siue  
nerueis earumque re-  
mediis Obs. XIX.

De Visu sesquiduplicato Obs. XX.

De enormi haemorrhagia  
per aluum, Alumine  
cohibita Obs. XXI.

De hernia Meningum Obs. XXII.

De fistula thoracis cum pu-  
ris exspuitione feliciter  
fanata. Obs. XXIII.

De testium obstructione  
senibus familiari. Obs. XXIV.

*Ante-*

PRÆFATIO.

*Antequam autem filum abrumpo, adhuc quaedam dicenda habeo. Nulla nimirum observationum mearum figmentis est contaminata, sed omnes sigillum veritatis prae se ferunt. Quo etiam factum est, ut illustres et praeclari Viri me per litteras certio-rem fecerint, de prospero euentu quem ipsi similibus in casibus exper-  
ti fuerunt. Inter plures autem iure meritoque nominandus pariter ac laudandus mihi venit, Celeberrimus Vinariensium Practicus D. BVCHHOLTZ cui placuit peri-  
cula, quae secundum meam descri-  
ptio-*

PRÆFATIO.

ptionem fecit, *mecum communicare.*  
Non erubescō etiam fateri me circa  
solutionem camphorae cum Naphtis  
erravisse, quas dixi camphoram re-  
spuere. Respuunt autem, si guttu-<sup>u</sup>  
lae aquae aliquot vitro intus adhae-  
reant, in quo solutio instituitur.

Omnia demum superflua, aut quae  
notitiam aegrorum personalem dare  
possint ex proposito vitavi, non ut  
melius latere possim inter incognita  
nomina, sed ne, quod dedecori est  
Medico, ea quae mihi vel soli confi-  
sa sunt, in publicum propalare, aut  
prae-

PRAEFATIO.

*praestitum officium recoquere videar.  
Haec itaque sunt quae leui opusculo  
praemittenda duxi. Scrib. M.  
Mart. 1769.*



OBSER-



## OBSERVATIO I.

*Indoles febris Anno 1765 grassantis.*

**H**oc, et proxime elapsis annis frequentiam istius obseruare contigit, cum plures in vrbe ea laborarent. Dolor lateris, vt plurimum laeui, tussis nonnunquam sanguinolenta, aestus insignis, imponere alicui potuissent, vt pleuritidi medeatur, morbum in pulmonibus quaerat, expectorationem promoueat, et hoc modo plenariam corruptionem visceris concedat, cuius parenchyma eo facilius in eam abit, quo tardius flumen spleni inest. Interdum labes simul in hepar transmigravit, ibique nouas turbas, et clandestinas deuastationes, sub pleuritidis larua molita est. Vera

A

autem

autem morbi facies haec est et hisce dignoscebatur signis.

Aspera febris ex notabili horrore surgit, quae statim dolorem primam grauatium, dein vero pungentem lateris ut plurimum laeui, praecordiorum anxietates, nauseam vomitumue, tussim clangosam, pituitosam, mox languiferam, et capitis dolores, sibi socios iungit. Haec primarum trium dierum facies est.

Latius tum serpit latitans anguis et hepatis simili contaminat vitio. Vehementior tunc ingruit fitis, oculi arescunt cum lingua, dolor circa iugulum, et inter scapulas sentitur, et alui plerumque inter initia adest obstructio, quamuis borborygmi exaudiantur, quae tandem aut in vomitum aeruginosum, aut diarrhoeam putridam terminantur. Inter haec pulsus semper est debilis et angustus, qui in multis clandestinas detegit inflammationes. Urina in primordio mingitur fere naturalis, nec quicquam sedimenti per totum morbi decursum conspicitur. In nonnullis loco criseos dolores et tumores, et in binis bullas serofas, circa articulos vidi. Haec signa mihi in omnibus hoc morbo decumbentibus obuiam venere, aut nullibi statum criticum tempus.

Quo

Quoad medelam: emetico semper, facta prius vena ventriculum subverti, quod ructus putridi, fetorem putridorum ouorum aemulantes, indicabant, finita operatione, pulueres nitroso camphoratos dedi, et quidem sic, ut omni bihorio nistri grana duodecim, et camphorae quatuor grana assumerentur cum brodio. Inter haec decoctum bromium abunde dabam bibendum, et vno alteroue enemate aluum emolliebam. In peiore statu, et vbi pulmonibus inflammatio iam data erat, adiunxi prioribus Senecam radicem pulueribus. Confopitis hoc modo doloribus, omnem saburram infuso mannato, toties euerrebam, quoties borborygmi adhuc percipiebantur. In quibusdam sexies vel octies medicamentum dare necessesse erat.

Quo autem clarior fiat morbi vera indoles, non inutile fore duxi, integram et completissimam ut reor historiam hic exponere.

Sit itaque vir, maior sexagenario, potator spirituosorum, herniosus, et podagricus, qui, postquam

D. I. Februarii appetitu deficere ceperat vitiumque in ventriculo suspicans,

A 2

mo-



modicam Essentiae amarae Halensium fumserat portionem, terque quaterue inde vomuerat, hora tandem  
 5/ IX. vespertina, grauius frigore febrili prehendebatur, et inter haec dolores lateris dextri punctorios percipiebat cum tussicula. Somnus hac nocte erat interceptus, et stertorosus. Aestus insequabatur horrorem modicus, cum celeri pulsu quidem, non admodum tamen duro.

D. II. Cutis erat sicca. Adhibebam radice Senegae grana quindecim cum saccharo, nec non infusum pectorale, et vesicam lacte calido repletam dolenti lateri superdabam. Lingua naturali propemodum erat similis, fitibunda tamen. Respiratio sat bene se habebat.

Hor. IX. antemerid. somnolentus cum leui delirio erat. Sanguis e dextro brachio missus erat tenax, cum pauca tenuique crusta inflammatoria.

Hor. IIII. pomerid. eadem. Aestus tolerabilis, dolores mitioris ingenii. Urina rubra, cruda, pauca. Pulsus celer, mollis tamen. Respiratio satis

tis bona. Expectoratio aerumnosa, sputum tenax ad instar laticis cinerei. Multi flatus. Dextrum latus vesicante exulcerabam, clysteremque ex hordei cremore cum nitro et melle remixtum decernebam. Ex infortunio vero peaescripta quantitas immissa non fuerat, attamen aluum bis flatibus interceptam deponebat. Aestus aliquoties per intracapedines ingruerat.

Hor. X. circa noctem notabilis aderat eius remissio. Obdormiebat passim. Pulsus idem, cum moderate mala respiratione. Sputa sanguine tincta, tenacia. Hernia inguinalis transitorias excitabat turbas. Dolores capitis ingrauescebant.

Hor. II. matutin. febris accendebatur cum sicca tussi, et anxietate ad quartam diei horam protracta. Assumfit tum aliquot vascula Theae cum oxymelle squillitico et Syrupo Farsariae edulcorata. Quibus assumtis excretatio fiebat liberiore et sanguine minus tincta. D. III.

Hor. IX. antemerid. Sumfit puluerem Senegae. Caloris gradus erat fere

A 3

natu-

naturalis. Pulsus sedatior et mollis.  
Lingua arida, absque tamen squalore.  
Aluum soluebat semel paucam.  
Hor. XI. lenis prorumpebat mador,  
cum aliqua tamen anxietate.

Hor, XI. cum dimidia Rigor accedebat  
cum insequente aestu XXX. graduum  
Therm. Reaum. Urina non admodum  
rubra, hor. XII. missa, circa hor.  
II. pomerid. nubeculam deponebat.  
Dolores recrudescebant. Pulsus idem  
ac pridie. Mens perbene constabat.

Hor. II. Thermom. ascendebat ad  
XXX. cum dimidio.

Hor. IX. vesp. Sputa efferebat albescentia,  
dolores vero versus Scrobiculum  
migrabant. Therm. XXXIII.  
gradum notabat.

D. III. /<sup>u</sup> Hor. matut. IX. Haec nox aerumno-  
fissima adhuc fuit. Aestum passus  
erat notabilem, cum vrinae ardore,  
quae pauca tamen citrinaque prodibat.  
Respiratio erat anxiosa, expunitio  
fere nulla et cruda, tussicula tamen  
continuo vrgente. Cutis sicca. Al-  
uus male et quam pessime faetebat.  
Quam

Quam ob causam enemate! alium ducere curabam, nec non binis vesicatoriis vtramque suram exulcerabam. Therm. in XXX. gradu subsistebat. Sanguis e pedis vena missus non adeo erat malus.

Hor. XI. De dolore tendinis sternomastoidei conquerebatur. Caloris gradus hesternos non attingit mercurius.

Hor. VII. vesp. pulsus mollescebat cum symptomatum notabili remissione. Urina erat rubicundior, et maior eius quantitas, hor. VI. missa et iam sedimentum floccosum deponens, aliis flocculis, globulos rarissimos formantibus intermixta, ceterum pellucida. Mador lenis, *inprimis artuum inferiorum*. Sitis moderata. Dolores circa tendines constanter perseuerabant. Lingua erat rubicundior, sana, praesertim in eius dorso, limbi flaccidi, pallidi, et humidi. Oculi boni, carunculae eiusdem ac lingua coloris.

Hor. IX. vesp. circa noctem, dolores in umbilicali regione, ab hernia rursus elapsa percepit, fomentis sopiendos.

D. V. Hor. IX. antemerid. Circa auroram fruitus erat somni dulcedine, sudore calido uniuersali perfusus. Pulsus tangebatur aequalis mollisque. Caloris gradus numerabam XXXI. Respiratio erat bona, et raro tussi turbata.

Hor. XI. placide dormiebat, sudoribus egregie manantibus. Sputa exferebat pinguia, bene cocta, cohaerentia, aequalia, leui opera.

Hor. III. pomerid. Caloris gradus augebantur ad XXXIII.

Hor. VIII. Dolores in sternomastoideo disparuerant. Urina erat fere naturalis, cum sedimento raro filamentoso. Hac die sumfit julepum squillicum cum interpolata camphora. Caloris gradus dimidium auctior.

D. VI. Summo mane ingentem aestum, cum anxietate, absque insequente sudore tulit. Hernia calamitosus sui morbi fatelles ingentia fecit tormina. Exfreatio modica, sputa alba fere tenuia. Ob tussim saepiuscule concitatam praebui linctum ex oleo amygdalarum dulcinum cum saccharo, qui  
crispa-

crispatas et irritatas fibras emollit et laxat,  
tussim vero non supprimit.

Hor. III. pomerid. Maximus hucusque  
obseruabatur caloris gradus ad  
XXXIII. enim ascendebat. Interim  
pulsus erat aequalis nec adeo celer.  
Cutis parumper madida. Appete-  
bat. Facies sui erat similis. Atta-  
men dolores recrudescebant, et au-  
gebantur successiuo gradu, cum spa-  
smis, summa anxietate, et animi de-  
bilitate stipati, vsque tum

Hor. circiter IX. antemerid. copiosissi-  
mo post tantos labores fuerat perfu-  
sus sudore. Urina vero, vti in toto  
morbi decursu, ita in *ακμή* erat pel-  
lucida modiceque inflammatoria. In  
hoc stadio, et antequam sudores pro-  
rumperent, data erant pulueris Se-  
negae quindecim grana cum adiectis  
quatuor camphorae granis. Verum  
cum ex infortunio quidpiam pulueris  
delapsus erat in asperam arteriam,  
fortiore inde concitata tussi, ingen-  
tem quantitatem laticis protrudebat.  
Sudores manabant ad Diei XI. confina,  
vbi nouo accedente horrore hal-  
lux vterque culpam luere in se susci-  
piebant.

D. VII.

A 5

piebant.

IO OBSERVATIO I. INDOLES FEBRIS

piebant. Die XXI. perfecte conu-  
luit. Porrexi tum infusum Manna-  
tum aliquoties, et extractum corti-  
cis peruuiani cum lactis saccharo.

An mador ille lenis artuum inferiorum  
D. III. indicium futurae podagrae?

In hoc aegroto, etsi morbus Hippo-  
craticis diebus suas habuerit exacerbatio-  
nes, et declinationem, in aliis tamen eo-  
dem morbo decumbentibus, id obseruare  
non potui. Ancilla nimirum, quae altero  
iam die meo auxilio utebatur, adhibita  
supra proposita methodo, quarto iam  
morbi die perfecte conualuit. Alia fae-  
mina iterum quarto. Aliae rursus nono  
iam decumbenti, et hucusque rudi modo  
habitae, et cui ambo hypochondria iam  
tumebant, et crudeliter dolebant, et pul-  
mones ipsi iam erant affecti, multum san-  
guinem e brachii vena misi, et tum au-  
dacter sulphure antimonii vomitum exci-  
taui. Postmodum dabam supra laudatos  
e Senega radice pulueres in camphorae  
connubio. Perbene omnia tulit et decima  
septima die iterum e lecto egressa est.  
Alius iuuenis sanguineus, Ictero circa sex-  
tum morbi diem prehendebatur, qui ve-  
ro cum aliquoties purgatus fuisset, deco-  
cto

10

Etto Sennae cum Rhabarbaro, et Cremorem tartari cum radice Curcumae assumpfisset, vigesimo die perfecte conualuit.

Foemina alias sanissima subito hoc morbo cum lateris punctura adficitur. Cum vero aliquot horis post primam inuasionem, largiter purgaretur, altero die jam restituta est.


Decimo quarto die alius decumbens, vigesimo secundo obiit die. Ob vires enim insigniter fractas purgantia dare non ausus, materia ad pulmones migravit, et aegrum catharro suffocatio interfecit.

In alio cacochymico vidi copiosissimas Aphras, in lingua faucibusque, nec non circa Anum sphacelosas, nec acidis conpescibles. Obiit semiputridus.

Virgo denique tredecim annos nata, macilenta, et ad iram facile prona hoc morbo decumbens, metastasi ad glandulas colli facta iudicabatur. Nullum tandem hoc morbo decumbentium scio eluctatum, nisi aliquoties purgatum, quod si fuerat omissum, metastasi ad pulmones facta, interiêre. Hanc autem praenunciat pulsus ex debili et angusto, fortis plenusque factus,



Etus. Vacillans vero pulsus cum praecordiorum angustiis, nausea, ructibus putridis emeticum. Intermittens vero cum aliquo stupore, et palpitatione cordis purgans indicant.



## OBSERVATIO II.

*De Senega radice eiusque viribus in inflammatione pleurae et pulmonum.*

Cum mentionem fecerim huius peregrinae radice in praecedentibus, non possum non eius vires specificas sane praedicare, quas semper in inflammatione pleurae et pulmonum praestitit.

Quinquennium et quod excurrit iam est, cum ego de Seneca siue Senega radice prima pericula in pleurítico morbo caperem, quo ex hebraica gente vnus miserando modo laborabat. Per octo integros dies vnacum suo morbo hinc illinc mendicando errauerat, absque quod misero vllum auxilium datum fuisset, vsque tum quò se vltèrius vertens inscius, et gravitate morbi oppressus, tandem hic loci pedem figere debebat. Facile quisque comprehendet statum morbi, absque mea vltèriore

teriore enarratione. Id solummodo dicere sufficiat, conclamatas res fuisse. Incipiebam Venaesectione, inprimis cum nondum celebrata fuerat. Sanguis vix erat nominandus, sed magna lardem. Tum statim mecum constituiebam Senecam experiri. Dabam itaque ter in die grana quindecim cum decem granis sacchari, nihilque aliud adiungebam, quam decoctum bromium cum nitro et Oxymelle squillitico. Primam ordine dosin euomebat, non sine suffocationis periculo, quem effectum vero nauseae tribuebam, quapropter alteram statim subiungere nullus dubitabam. Bene etiam tulit. Altero mane cum eundem visitarem, dolorum fere expers erat, et facili conamine notabilem vim sputorum coctorum exscreabat. Pulsus duritie remiserat, et lenis sudor propullulabat. Noctu etiam aluum soluerat ter, liquidam. Inopinata haec omnium symptomatum remissio portendi quid alere primum ducebam, cum alias eiusmodi aegroti ut plurimum apoplectici moriantur. Interim tamen cum altero loco penderem, mollitiem pulsuum, laudabilem et vniuersalem transpirationem, liberam aluum, signa boni ominis, nec vnum malum inuentum esse, decernebam, altero die idem experimentum repetere. Bene etiam

19

etiam cessit. Erectus ac supinatus pro lubitu esse poterat, modico nisu exsereabat, et vt vno verbo omnia dicam, hocce felici ausu vitam sanitatemque restitui.

Alter cuius historia in mentem venit est iuuenis duodecim annorum, qui scarlatina febre laborabat, et notabilem inflammationem pulmonum patiebatur. Propinabam tres doses, quarum singula grana octo radicis capiebat: vnā vesperti, alteram circa meridiem et tertiam circa diluculum vespertinum. Sequenti die ne hilum inflammationis aderat, et ceteroquin scarlatina suo decurrebat modo. Nonnunquam, et vbi maximum inueni inflammationis gradum, admiscui aliquot nitri et camphorae grana, quibus virtus insigniter exaltatur. In Sutore E. . . praeter haec adhuc additi ob singularem indicationem Kermes minerale, in cuius connubio ad miraculum se gessit. Nono iam die in morbo erat, ac mihi tradebatur aeger, cum immobilem in lecto iacentem, oculis semiclausis, nigris dentibus, tremula et labium vix transgrediente lingua, sonantioreque anima inueniebam. In hoc desperatissimo casu, iterum larga inchoabam venaesectione, atque Senecam ad grana quindecim, quibus tria camphorae

rae


rae et vnum Kermes mineralis admixta erant quouis trihorio porrigebam. Primam ordine dosin reiciebat vomitu, sed cum euphoria, siquidem ingentem farraginem mucii tenacissimi instar laticis longi, hoc modo reddebat. Postmodum diarrhoea notabili ab omni apparatu prauo liberabatur. Tunc roborantibus et analepticis finiui curationem. Hucusque me nunquam fefellit. Tertia dosis dolores certo fugat.

Vir iuuenis triginta annos natus in male tractata febre tertiana simplici adhuc comprehensus, pleurítico morbo faeuissimo modo infestatur et quidem sic, vt omnis fomes febrilis in connubio pleuriticae inflammationis agerent. Adeo vt peius quid inueniri vix potuisset. Post vnam alteramue largam sanguinis detractionem dabam radicis Senegae quindecim cum nitri sex et camphorae duobus granis, et quidem sic vt ter in die eandem assumeret dosin. Acies dolorum statim componebatur, et quod reliquiarum aderat nitrosis simplicissimo modo abegi.

Alia foemina annosior tamen eodem modo curata est, etsi peiorem morbum nacta esset. Septimo enim die aphtis vexabatur,

xabatur, quas vero debitis artis adminiculis excipiebam.

Id tandem monendum adhuc habeo, vt sensibiliaris gulae hominibus, ob acrem et velut vrentem saporem quem in oesophago relinquit, non vltra duodecim grana et in sacchari modica miscela porrigatur.



## OBSERVATIO III.

*De mercurii sublimati corrosivi efficacia.*

**N**auta luem veneream contraxerat, atque intra biennium, non nisi futilibus medicamentis oppugnatum itum erat. Quo facto venenum ossa depascebat, et totam turpi modo faciem conficiebat. Os frontis ad sinus vsque frontales, quae mucum continent excessum erat, orbitarum canthus superior, cum ossibus nasi eiusdem conditionis. Fauces laniatae. Ulcera insuper pessimi moris hinc inde corpus suum defoedabant. In tali statu de alterando et expellendo veneno per sputa cogitare non poteram, ob nimiam faucium exulcerationem. Quapropter solutionem mercurii sublimati corrosivi tentare constitutebam,

19


tuebam, quam ea methodo exhibui, vt duodecim dierum spatio, mercurii grana duo adsumeret, et libras tres quatuorue decocti antiueneri Kleinii per diem eberet. Inter haec vero etiam exactae diaetae adstringebatur. Atque hisce solis remediis quatuor mensium spatio perfecte sanatus est.

Alius rusticus contraxerat a neglecta angina cariem vomeris cum fistulosis vlceribus faucium, quem eadem methodo sanavi. Emetico vero ventriculum subvertere debebam, quoniam sub somnum multum puris et alius immunditiei deglutiebat, et per haec grauis odor oris, plenariaque Anorexia oriebatur. Diu quidem haesitabam ane per vehementiorem motum inter vomendum malum in deterius ruere posset, ast, cum nonnunquam spontaneos pateretur vomitus, nulla impediendos arte, tandem artificiali omnem vna vice exhauriebam saburram. Et dici vix potest quantum emolumenti inde percipere poteram, cum digestio et hinc nutritio melius cederet, et hoc modo etiam crasis sanguinis emendaretur.

Nobili iterum virgini quae diu iam gingivarum fistulam cum carie aluerat, pari  
 B cum

cum successu dedi solutionem mercurii sublimati. Et notandum insuper, quod cum antea ne quicquam ciborum appetitisset, sub vsu solutionis redierit ciborum cupido.

Rustica iterum foedis vlceribus circa genitalia scadens rediit breui temporis spatio in gratiam.



## OBSERVATIO IIII.

*De corticis peruuiani viribus in sphacelo.*

**R**ustico conquassabatur articulus inferior pedis sinistri. Apophysis inferior tibiae fibulae, astragali pars cum annexis tendinibus in pulstem erant conuersi, per proprium annosa quercu onustum currum. Decem ad minimum horae, absque vlllo auxilio, ardente tum temporis Syrio, praeteribant. Ad haec vero, flebile fatum voluit, vt imperitis et incuriosis traderetur manibus barbaetonforis, aciem huius vulneris non penetrantis, spondonerat ille promptam sanationem, quam vero non solum non praestiterat sed potius nefando modo neglexerat. Ostiduum itaque iam erat, cum ego aduocarer, ac fo-  
res

1. / 5'

res vix ingressus olfacere iam potuiffem quid metuendum erat. Sphacelo nimirum pes ad medium femur vsque erat occupatus. Teterrimus foetor transpirabat linthea, prius quam ad ipsum vulnus veniebamus. Iubebam itaque, femur et tibiam vtrinque latis vulneribus illico scaperire, per quae putridissimus emanabat ichor. Quid ergo in tali rerum statu primum molliendum? Decreueram amputationem, quam vero aeger ipsa morte peiorem tenebat, et sancte profitebatur se malle mortem amplectere, quam eiusmodi remedium experiri quod tamen sua natura non nisi ancipitem euentum posset spondere. Quapropter, cum nullo modo mouendus erat, aliud, vel ex arena capiendum erat remedium. Notabilis aderat febris, quae sanguinis missionem suadebat, quam etiam modicam tamen statuebam. Tunc vulneribus indefessa opera decoctum corticis, chamomillae romanae et abrotani cum sale ammoniaco, e calcis aqua calide superdabam, atque omni hora dimidiam corticis peruviani drachmam deglutiendam porrigebam et puriorem aerem per omnia admittebam. Loco potus ordinarii dabam insuper Aquam multo citri succo imbutam. Tertio abhinc die fistebatur putredo, et quaedam vulnera a centro remotiora, iam




inchoabant bono scadere pure. Eximebamus, quibus potiri fragmentis poteramus, et longiori interuallo porrigebam corticem. Aluum praeterea quotidie emolliabam enemate antiphlogistico.

*//rc*

Sed longum foret omnia quae se curae objecerunt impedimenta, et eorum remedia omnia hic recensere, cum sex mensibus elapsis demum conualesceret. Id tantummodo reticere non possum, quot negotii mihi facefferit, anafassa, quae tanto malo superueniebat et quibus modis debellauerim tristissimum morborum. Impossibile erat purgantibus rem aggredi, cum patiens non nisi multorum opera moveri poterat. Qua propter per vrinas aquam subter cutem euacuandi tentare cogebam. Dabam itaque pilulas squilieticas Edimburgensium, et infusum radicis Armoraciae cum vino paratum, quibus a morbo vulnere pejore liberabatur. Caeterum adhuc bene se habet, si difformem admodum pedem excipias, quem tanquam inutile pondus frustra alit.

OBSER-



## OBSERVATIO V.

*Variolae An. 1766-1767.*

Quaqua versum et per totam fere Europam hisce annis longe lateque vagatae sunt, atque ingentes tenerae aetati intulere clades, adeo vt:

*Luctus ubique pauorque et plurima mortis imago*

adesset. Nec vero vna eademque facie veniebant Variolae, nec omnes trucidabant. Mihi saltem contigit tres quatuorue species distinguere, quarum specificum characterem fideliter enarrabo. Leuissima species absque notabili febre ingrediebatur, paucas ac facile numerabiles pustulas protrudebat, ac benignissimo modo decurrebat. Altera grauiorque species hoc commune habebat, vt pustulae in reliquo corpore primum, in facie vero vltimum prodirent, facies tum intumescibat mirum in modum, pustulae corporis siccabantur, cum illae faciei adhuc florerent. Vt plurimum vno alteroue abscessu in cubito aut humeris valde immorigeris finiebatur. Tertia species ex genere confluentium et sphaelosarum,

B 3

iterum

iterum absque vrgentiore febre ordiebatur, atque paucissimas pustulas gignebat. Tertio vel quarto die noua accendebatur febris, eaque grauior, nouumque agmen ducens. Circa septimum diem tertia accedebat febris, confertissimas secum ferens pustulas, caput foetissima deturpantes larua, discretas in reliquo corpore, quibus nigrae aut fuscae interspersae erant. Tempus suppurationis primi agminis cadebat in tempus eruptionis secundi. Tempus iterum maturationis primi, suppurationis secundi, cadebat in tempus eruptionis tertii agminis et sic porro. Ita vt natura triplici labore onusta succumbere deberet. Tantus erat putredinis hisce variolis gradus, vt mihi sub ingressum nares dolerent et sternutatione dolorifica adficerer. Adstantes aliqui, alias sanissimi et variolas iam dudum experti, a contactu pustulas praesertim in facie accipiebant, vti mihi ipsi contigit. Eundem odorem huiusmodi variolae spirabant, ac stabulum ouiarium, per aliquot dies clausum et nunc passum.

Omnia auxilia quae ars suppetitauit, et summum adeo antisepticum corticem peruvianum cum spiritu vitrioli, aerem frigidiusculum, omnia dico artis praesidia hic  
patre-

putredinis gradus elusit. Tertius quilibet seruari non potuit.

Peculiare lethalitatis signum obseruavi, quod in eo consistebat: Si pufio contractis et in manum contortis digitis, resupinatis manibus, celeri et inquieto modo, ac indefessa opera, oculos abstergere videbatur. Hi omnes moriere. Tempore intumesceniae faciei hoc signum ingruebat. Minus vero etiam tuebant ac alii.

Contra vero nullum inoculatorum perdidit, quorum hoc anno XXII. sunt. Quae itaque in his singularia et insolita obseruati fideli calamo exponam.

Puellae trium annorum, temperamenti sanguinei et viuacis, alias sanissima variolas artificio dabam, optimo pure. Confectus dierum numerus absque vlla mutatione absoluebatur. Igitur altera vice experimentum repetebam, verum iterum incassum. Incisurae coalescebant altero tertio die. Hinc constituebam recentissimum adhibere pus. Quo facto nono abhinc die circa vesperam, insigni calore cum inquietudine et aliis variolas praecurrentibus symptomatibus adiciebatur. Circa mediam noctem, sudore vniuersali perfundebatur, specificum quem variolae spi-

rant odorem habente. Meae' perceptioni foli non fidens chirurgum adducebam, qui statim sub ingressum variolas olfacere putabat. Altero mane pro suo more puella alacris erat petulansque, nec appetitu deficiebat, verum nullum stamen variolarum detegi in toto suo corpusculo poterat. Quum itaque opera perdita videbatur, ad suos remittebam.

110  
Suadebam tamen vt puellam per aliquot tempus regimini ~~et~~ adstringerent. Ubi per octo dies domi commorata fuisset, vulnera jam dudum consolidata de nouo pus concipiebant, et tria quatuorue vlcuscula variolosa efflorescebant, omni titulo pro veris variolis habenda, absque nouae febris accessu. Suppurauerunt per statum tempus, adeo vt pro perfecte absoluta ab omnibus quibus variolarum character cognitus est, habetur.

Alius infans inficiebatur artificiose variolis, pure ante tres menses suscepto, Verum fallaci experimento. Quam ob causam recentissimo pure reiterabam operationem, sed et hac variolosa febris suscitari prius non potuit, quam octaua demum abhinc hebdomade. Prodibant placcide variolae discretæ.

Huius

Huius frater cui vna eademque hora, atque eodem de filo variolae datae fuerant, morbum plane non expertus est, etiamfi in eodem cubiculo diu noctuque commoratus fuerat. Epidemia variolarum tum temporis per aliquot menses filuerat, adeo vt venenum ab aliunde allatum, locum habere non poterat.

Ex rustica gente quatuor infantibus variolas dedi quae etiam suo tempore prodire. Verum omnibus his humeri suppurabantur. Et hi infantes inter omnes peiorem experti sunt morbum, nec tamen mirum! cum in humili, humido, et summa in sorditie recumbere deberent. Quibus accedebat, quod lacticinium in eodem collocatum erat cubiculo, cuius vapores sub calore fornacis in putredinem abeunt et pessimam gignunt aeris crasin. Et nec mouendus est rusticus ratione.


Infans puella sex menses nata, beneficium artificiosae infectionis non nacta, antequam naturali modo variolis prehendebatur, praegrandem abscessum pone aures contrahebat, qui multum puris albi et inodori fundebat (\*). Duos tresue dies post vlceris apertionem, febris variolosa

B 5 ingrue-

(\*) Hippocr. in Coac. pr.

ingruebat cessante illico puogenia in ulcere, quod non nisi sanguinem ichorosum fundebat. Interhaec exanthemata variolosa in miliarium consortio prodibant. Nigrescebant vix natae variolae, et postquam venustissima puella comitalem morbum passa erat spiritum suum reddebat.

Cum in numero inoculatorum priori fasciculo recensitorum vnus occurrit, qui durante praeparatione in Icterus caderat, addere tunc temporis oblitus sum, eandem *simulacra* tantum variolarum perpeffum fuisse. Comprehendo autem hoc nomine: pustulas pertenui pure refertas, margine purpureo orbas, citiusque veris, in squamulas abeuntes. Idem, inquam, octo post annos naturales et veras variolas expertus est, idque adeo vt vix emergeret. Tale exemplum etiam ex narratione beate defuncti *Werlhofii* mihi notum est. Praestat itaque nullum inoculatorum factam tectamque a secunda infectione celebrare, nisi toto nomine variolas, et non paucas habuerit.



## OBSERVATIO VI.

*de Hydrope particulari.*

Vir plus annis quaträginta natus, temperamenti sanguinei, humorum tamen discrasia laborans, quae subinde sub forma impetiginis aut serpiginis, in interstitiis digitorum maxime in conspectum veniebat, summa sub hyemis saecivitia venatum iuerat, atque transpirationem imprimis manuum suppresserat. Eodem iam die pustula nullius fere momenti, in medio digito progerminabat, quae vero successiuo gradu tantum in peius ruebat, ut inde intumescerent digiti, manus et brachium ad usque humerum, et bullae ferofae confertim in toto prorumperent brachio, adeo ut continuo fere riuulo liquor urinam sani hominis referens, ex incisis bullulis non modo, sed etiam per radices vnguium emanaret. Summus praeterea accedebat inflammationis gradus, et urinae excretio tantum non omnis sufflaminata erat. Quam ob causam omnem impendebam operam, ut haec debita redderetur quantitate. Porrigebam itaque quouis modo diuretica, et lauare curabam regionem renum spiritu therebinthinae,  
cutis



cutis vero inde arrodebatur, quapropter abstinere debebamus, etsi non delitueretur effectu medicamen. Cum itaque vrina copiose satis flueret et potulenta assumpta quantitate superaret, siccantia roborantibus nupta brachio superdabam: velut decoctum corticis peruuiani ex calcis aqua. //u /a Digni vero exercebantur ab arrodente materia integumentis omnibus, vt nil nisi carnes restarent, quos leniente vnguento et emplastro filiorum Zachariae muniebam, et sub horum vsu e morbo recreatus est. Suasi tamen vt quotannis per tres menses ptisanam ex Guajaci scobe et antimonio crudo potaret ne de integro in morbum incideret.

---

OBSERVATIO VII.

*De Eryfimo.*

Cum in Obseruatione II. de Seneca radice dictum sit, quantum aduersus inflammationem pulmonum vel pleurae valeat, dicam nunc aliam plantulam cognitam quidem satis superque et indigenam, sed non omnibustanto nomine, *Eryfimum*, quae facile omnibus aliis in statu mucoso celebratis palmam praeripit. Habemus quidem Syrupum in Officinis venalem. Verum

Verum si licet quid ego de Pulvere exper-  
tus sum proferre, multis parafangis supe-  
rare Syrupum quivis concedet. Occur-  
runt saepe saepius aegri quos semper mu-  
cida vexat tussis, pallent vt plurimum, et  
quandoque leui vel transitoria febre deti-  
nentur. Nonnullis aliis pituita in visceribus  
infini ventris haeret, quibus pallidae vri-  
nae consuetae sunt et turbulentae. Hu-  
iusmodi aegris Erysimi puluerem deuoran-  
dum dedi, ita vt triduum assumerent  
drachmas tres et quarto die pro circum-  
stantiarum ratione aut mercurio dulci aut  
alio lenissimo purgante aluum mouerem.  
Notandum vero est quod aegris quibus in  
pectore pituita est diuretica magis conue-  
niant, et contra, quibus inferiora viscera  
infarta sunt, purgantia. Inter plures ve-  
ro quibus Erysimum profuit foemina est,  
quae cum a longo tempore, et quidem  
concatenatis quasi morborum simulacris  
valetudine tentaretur, tandem per Erysi-  
mum redijt in integritatem. Conquere-  
batur autem de continua tussicula, mitissi-  
ma febre stipata, inappetentia, et graui-  
tate membrorum. Urinam paucam ru-  
fam mittebat, malleolique tuebant. Per  
mensem patienter assumit puluerem Ery-  
simi, et perfecte sanata est. In alia virgi-  
ne molestissima mucifera tussi laborante per-  
fecte satisfecit. Auctis nimirum vrinis  
malum cedebat. Miles

Miles equestris simili morbo detentus ex incommoda valetudine emerfit, postquam per quatuordecim dies patienti animo affumferat Erysimi pulverem, cum interpolatis laxantibus.




## OBSERVATIO VIII.

*De languore scorbutico cum maculis latis velut ambustis.*

**T**ribus in foeminis obseruare contigit hunc morbum singularem plane et variis stipatum symptomatibus. Una harum insignem patiebatur aestum cum angustis praecordiorum, grauitatem membrorum, et sensum ambustionis in summa cute, iam ab octo diebus antequam ego ad aegram adducerer. Post venam sectam effloebant in toto corpore, faciem si exceperis maculae rubrae, margine roseo terminatae, magnitudine imperialis, in femoribus confertissimae, absque leuamine. Dolebant insuper arthridicorum modo articuli, qui tandem etiam tuebant, absque tamen rubore. Febris simul aderat insignis, e cetu continuarum, circa vesperinum diluculum ingrauescens, sub auroram demum remittens, et paucosudore delinquens. Hunc morbum paucis admo-

admodum adminiculis iisque facile comparabilibus debellatum iui. Decocto nimiram auenaceo multo citri succo foecuntato, et squilliticis pilulis ad normam Edem-<sup>1i</sup>burgensium paratis. Diuresi enim hoc modo concitata, sudores vna cum febre remittebant, et procul dubio omnis acrimonia huic excretioni aptior, per has vias exterminata est.




## OBSERVATIO IX.

*De carcinomate, extracto cicutae sanato.*

Vetula plusquam sexaginta annos nata a longo iam tempore dolorem obtusum in infimo ventre sentiit, quem, cum per accessiones feuerior fieret, semper quantitas materiae purulentae et graeolentis, sanguineque remixtae, per genitalia abe-<sup>1i</sup>untis, presso pedo sequitur, et tam diu,<sup>1e</sup> donec emaciata luculentius languesceret, et consuetos sibi labores subire non amplius posset. Cum cognitum morbum haberem, nullus dubitabam, cicutam fore huius morbi remedium. Quapropter statim porrigebam quotidie quinque grana extracti cicutae, et augebam indies dosin ad usque grana duodecim, quae per duos integros

gros menses quotidie bis assumfit. Cum in medio curae adhuc comprehensus essem, propter meam absentiam destiterat patiens per aliquot dies, medicamine, et illico reuerterant dolores et puris effluxus, graueolentia vero iam remiserat. Ea propter suadebam, vt ad pilulas refugeret. Quibus tandem etiam radicitus sanata est.



## OBSERVATIO X.

*De Hepate scirrhuso, cicuta sanato.*

**I**udaeus post vehementiorem iram, et insequutum moerorem, duritiem in dextro hypochondrio sentiebat, cum adstrictiore aluo, inappetentia, et angustiis praecordiorum. Color faciei sensim mutabatur in flauo viridiusculum. Macrescebat, et transitoriam patiebatur febrem. Inter initia adhibebam rhabarbarina, cum salibus et pauca portione Ipecacuanhae per vices, et emplastrum saponatum cum resoluentibus intime mixtum lateri dextro superdabam.

Inter haec vero augebantur indies hepatis moles, ac inde pendentia symptomata. Quam ob causam methodo medendi pertinax

nax


nax non inhaerebam, sed Cicutam hoc in casu experiri magis constituebam, quodque ea ratione dirigebam, vt inter initia grana xxiiij in vnciis sex aquae cuiusdam destillatae soluerem, de quibus aegro quarta quaque hora cochlear vnum hauriendum dabam et sexto quoque die largius purgabam. Latus adfectum autem emplastro de Cicuta tegebam, postquam sequenti mixtura quoad durum erat abdomen inunxeram:

Rec. Sp. fal. ammon. v. vnc. iiij

ol. hyosciam. vnc. dimid.

M.

Quibus per mensem et vltra continuo vsurpatis, conualuit perfecte. Vere tum insequente Pymontanarum potandarum fuasor fui.



## OBSERVATIO XI.

### *De lienis infarctu.*


**I**nfantem bimulum iam diu tenuerat tertiaria intermittens ac ego aducebar. Alium vero typum febris adeptus erat: siquidem lentae propior, non nisi lenissimo

C

frigo-

frigore inchoaret, et tum lento veluti gradu gliscentem aleret ignem. Accedebat quod lien metastatico modo tantum tumeret, vt dimidium abdomen adimpleret. Hunc tumorem solis spleniis aceto vini fortiore largius calideque imbutis, iisque saepius per diem renouandis, resolui intra octiduum. Caeterum febrem consuetis perfanui remediis.

In alio infante rursus egregie se gessit, eodem tumore adfecto.



## OBSERVATIO XII.

*Haemorrhagia narium.*

**V**ir sexaginta quinque annos natus, plethoricus, et scorbutica labe simul infectus, saepiuscule sibi splendicans quiddam ob oculos obuersare aiebat, cum caeterum sanus esse videretur, quod plethorae tribuens, venesectionibus abigere conabatur. Interim redibant hae stellulae praesagientes eo vsque, donec Hippocrati satisfecerint, qui LIBR. PRAEDICT. II. p. m. 357. inquit diuinando: *Quibus vero ex naribus sanguis fluit - - - splendicans quiddam ipsis ob oculos obuersatur.*

Stilla-

Stillavit sanguis ad septimi diei confinia, absque quod venae sectiones, bouista fungus, solutio vitrioli martis cum aceto calide naso et fronti superdata, aut iniectio alcoholis vini, riuulum fistere, aut balnea et clysteres ad remotiora loca reuocare potuissent. Nec quidem tam facile est sanguinis e naribus fluxum fistere. Si nimirum sanguinis impetus eo ruit, et medicamento quodam in trombum coagulatur, per sic dictas coannas defluit, et tum vel linguae inter exspuendum saporem sanguinis perquam nauseosum continuo renouat, vel deglutitur, stomachum grauat, et vomitus prouocat, tanto magis reformitandos, quo euidentius inde sanguinis exacerbatur stillicidium.

Quibus itaque omnibus incassum adhibitis, aliud, vel ex arena capiendum erat remedium. Constituebam itaque Ichtyocollam ex aqua et modica alcoholis vini portione decoquere, atque ope syringae in nares immittere, manus et pedes multum fricare, caputque nudare. Quibus adhibitis remediis, stetit. Suadebam tunc ad corrigendam scorbuticam acrimoniam, et ad magis aperienda infimi ventris repagula, vt serum lactis antiscorbuticum solemniter biberet, ferculaque carniū iuniorum animalium et e tribu vegetabilium




parata magis eligeret , aerem cubiculi aliquoties in die renouaret , et breuioribus temporis intracapedinibus sanguinis missionem celebraret. Verum vti cuiuslibet senum sua est consuetudo , ita et huic Venerando seni crudiora , sale condita , fumo indurata et id genus alia , magis placebant. Ast non inultus persuasiones amici sui , alias praecepta medica , spreuit. Vindictam ab Hippocrate iam praedictam , cum eadem pagina *tibiae ulcera , et cicatrices nigras* , his futuras esse dicit *quibus gingivae vitatae sunt* , vel quod perinde est quibus sanguis scorbuticus est , patienti subire debuit animo. Abscessum accipiebat in tibia , quem diuinus ille senex *longe optimum* praedicat , dum *sanguinolentissimus est*. Non enim , per quatuordecim dies , quam sanguinem crassum , nigrum et tenacem fundebat. Quo etiam factum esse credo , *ut statim celerrimeque per se liberatus fuerit et quidem absque quod egerit Medico.*

Alius hoc morbo decumbens erat miles equestris , praegrandis. Postquam febrem e censu intermittentium per mensem aluerat , atque Chirurgus , nullo respectu ad vniuersalem vasorum , sanguisque constitutionem habito , scorbutica enim aderat labes , *et non bene prius repurgato mensente-*

*fenterio* (\*) chinatis et martialibus, tum seorsim, tum coniunctim praeproperè datis, ita disposuerat vasa sanguifera intestinorum, vt, constricta sursum pellere sanguinem cogerentur, vasa teneriora narivum, insolitam vim cruoris emittebant, adeo, vt sanguis, decima septima die ac ego aduocabar, plenis adhuc flueret riuulis. Inter haec vero tantum aberat vt desisisset bonus iste Chirurgus adstrictivam facultate pollentia medicamina corpori intrudere cui nec vis nec robur supererat, talia subigendi, multo minus se mouendi. Decernebam itaque statim, fotu caloreque enematis emollientis, vasa constricta relaxare, cataplasmate anodyno ab extra spasmus sedare, et sic flumen sanguinis ad sua loca reuocare. Vix enim ter repetitum erat experimentum, ac anomalus torrens ad suos reuerteret canales. Reficiendi scopo dabam nil nisi iuscula antiscorbutica, et haustum vini. Et hisce quidem pristinum robur recuperavit.

(\*) Bagliv. opp. p. m. 33.



## OBSERVATIO XIII.

*De intestinorum erosione.*

/a
**E**rosionem tum adesse dico in intestinis, si naturali mucō, optimo ut notum est eorundem defensore priuata, aliquo loco faucia sunt. Summi ut quisque facile comprehendet inde oriuntur cruciatus, in tetanum aut conuulsiones facillime transcurrentes. Remittunt tum dolores et redeunt. Urina mingitur varia, alba, mox pelucida, mox rubicundior crassescens. Dolor vno eodemque loco constanter persistit, si vno tantum loco, si plures fauciati, pluribus. Vomiturium, et miculam panis commessam, suo tempore maximis reluere debent doloribus. Omnia, accedentibus tum spasmis, dolent membra, micturiunt, et tenesmo vexantur. Miserrime certe excruciantur eiusmodi aegri, tantoque magis miserandi, si imperitis se tradunt, ex quavis reuertente accessione febrem suspicantibus, et terrea, asperos pulueres, acriaque quaeuis decernentibus.

In tale infortunium inciderat foemina selectioris conditionis, a menstruo tributo iam dudum absoluta. Doloribus primum,

pur-

purgante medicamento sese liberare annitebatur, quam consilio Medicastrum cuiusdam corticem copiose satis deglutiret. Accelerabantur autem et exasperabantur dirum in modum dolores, quibus vero non obstantibus, et certa spe sanationis nutrita, per octo et quod excurrit dies patientissimo animo omnia, ex pessimo quasi fonte hausta remedia assumpsit. Cum autem demum videret se in deterius ruere, viribus languescere, lypothimias accedere, et Medicastrum vana protulisse verba, meo tandem utebatur consilio. Cum igitur ex suis cognouissem signis morbum, mucilaginosam, pinguiusculam et lenissimam balsamicam, in consortio anodyni medicamenti, dabam. Inter omnia autem optime se gessit *Butyrum cacao* recentiter paratum, quod ex iusculo vitulino, aut ouis, ad magnitudinem auellanae quouis bihorio porrigebam, clysteresque ad normam decocti mei antidyfenterici paratos iniicere curabam. Hocque modo, strictissimoque imperato regimine, redibat in gratiam. Aliam matronam eodem morbo laborantem, butyrum Cacao vero fastidientem *iusculis ex ovo et gummi Arabico* coctis sanavi.

Quodsi vero erosio ista, quam proposui in ventriculo est, tum seueriora symptomata ingruere consueuerunt. Dolores

Cardiam magis occupant, respirationem praescindunt, vomitu omnia assumpta siue esculenta siue polulenta spectes huiusmodi aegri reiiciunt, obstructam aluum habent, pallidi sunt facie, pallidasque mingunt urinas. Mane commodius habent, contra, post assumtum cibum. Vestimentorum arctius connodatorum, vel in sequiore, constrictorum sunt impatientes, et ventriculus se tantum constringit spasmodice, vt tactu explorari, maximo vero incommodo aegrorum possit. Spirituosa, acria, aromatica, vel asperiores cibos ferre nunquam possunt. Huic morbo, hisce prouinciis communi, praestantiora remedia opponere non potui sequentibus:


Mane nimirum et circa vesperam praebeo puluerem qui habet: lactis sulphuris grana quindecim, et sacchari penidii decem, ex infuso radicis Altheae et liliorum alborum, quibus pauca Gummi Arabici portio iuncta est. Adhaec impero vt nullo alio quam lacte recenti aegri vescantur cibo. Sed tempus dandum remediis et morbo.

Est vero etiam, quod acidum, vel potius acrimonia liquoris gastrici bilisque in culpa sit; et tunc ratio medendi aliter dirigenda est. In hoc enim casu, lac aegrius ferunt, acrimoniam enim adsciscit. Praestat

stat potius pulveri modo laudato absorben-  
tem Viennensium addere, cum intermix-  
ta Tragacantha, et serum lactis martia-  
tum. Signum specificè Diagnosticum prae-  
bet sapor amarus, ructus acidi, non, quam  
cum aliqua difficultate boandi, et ardor in  
oesophago ad fauces exporrectus. Urina  
mingitur saturatior, nec alui adest con-  
stipatio.

Contingit quoque quod idem malum a  
retrocessis menstruis proveniat, et tunc  
vera crux medentium morbus est nuncu-  
pandus. Ventriculus enim omnia medi-  
camina respicere videtur, et spasmodorum  
coincidit saevitia, eo imprimis tempore,  
quo menstrua alias fluere consueverant.  
Liquor anodynus, ipsum Laudanum liqui-  
dum Sydenhami, et aliae quae in promptu  
sunt guttulae ex spirituosorum tribu, ma-  
lum exasperant. Contra vero commen-  
dandum habeo *infusum Verbasci et Mal-  
uae, loco potus ordinarii, et infusus ex  
emollientibus et pauca Hyosciami herbae  
quantitate.* Comparavi semper hoc ma-  
lum cum haemorrhoidibus sic dictis cae-  
cis. Verum enim vero, suspenditur tan-  
tum quo ad fieri potest saevitia spasmodorum,  
sed causa mali saepius numero in eodem  
relinquitur vigore. Quid ergo aliud ten-  
tandum, cum ventriculus obliuiscitur ac-  
cipere

cipere, quam ea ipsa methodo pertinacius inhaerere, *avo non nato* emollire, spasmos sedare, deriuare, et id genus plura moliri?



## OBSERVATIO XIV.

*De Melancholia hysterica.*


**F**oemina quatragesima quinque annos nata, corporis strigosi, plurimumque iam infantum mater, et nunc gemellipara, antequam matrimonii iniret vincula, menstruis tum temporis fluentibus, ex adspetu delinquentis capite truncandi, ita terrore, et aliis animi pathematibus adfcitur vt illico subsisteret fluxus. Domum, mente iam alienata reuertit, et ab hoc tempore per plures demens fuit annos. Temporis vero tractu rediit ad se, suauisque medicorum nubitur viro. In matrimonio ipso caeterum sat hilatis fuit animo, si exceperis, quod vetus malum semper resuscitatum fuerit a suscipiendo infortunio, terrore, iracundia, aut alio adfectu, interim transitorie tantum nec per diem constanter. Hoc autem autumnocum gemellos peperisset, et alter horum ex nutricis incuria suffocatus fuisset, adeo moero-

moerori se dederat, vt perseveranter fufpiria lacrumis miferet, et domesticam rem per omnia negligeret. Accedebat, quod duplici amore in superstitem pufionem translato, citra omnem diffuafionem, propriis lactare affidue conaret vberibus, cum tamen, nimia in moerorem luctumque propenfione emaciata, ipfa natura id ferre recufaret, fiquidem omnimodam ferre inediam pateretur. Omnis ideo mouendus erat lapis, vt partim matri, partim infanti succurreretur. Quapropter omnem dirigebam, verfus intestina ftimulum, idque peregre fecere purgantia falibus mediis nupta, eaque refracta fed frequentius data, hisque folennes interponebam purgationes, et nonnullas Venaeftiones. Sentiit tum naturae voculam et appetiit. Repleto fic corpore eüchymis alimentis, humectandi scopo et demulcendi felteranas potandas dabam, hisque Deo iuuante perfecte conualuit.

Mania vero laborabat ruficus Nauta, venereo inquinamento contaminatus, postquam sub faluatione, purpura venerea, a subita refrigeratione repulfa fuiffet. Quem mercurius dulcis in camphorae connubio integre fanauit. Suas femper celebrabat circumvagations per deferta et incognita loca, plenilunio fauente.

OBSER-





## OBSERVATIO XV.

*Cogitata de conceptu, speciatim vero de illo praeternaturali Fasc. I. Obs./communicato.*

/xxxiii.

(a), **E**rgo ovipararum feminarum et vi-  
 „uipararum ouis non aliud discrimen est : quam in albumine alimentario (b), et defendente testa (c), quibus „viuiparae destituuntur, reliqua omnia in „vtrisque perfecte eadem sunt. Miror „adeo fuisse claros viros, qui negarent aliqua inter oua viuiparorum animalium et „ouiparorum oua similitudinem intercedere (d).„

a) HALL. comment. in H. Boerh. prael. T. V. p. 168 et 169.

(b) Nec albumen alimentarium quidem, discrimen ponere mihi videtur, inter oua viuiparorum et ouiparorum animalium, cum illis non deficit aquae quibus innatent. An vero liquorem amnii deglutiat fetus, et inde nutriatur adhuc lis est.

(c) Nec fetus animalium destituitur sua testa defensore. Anne velamenta

ta

ta et aquae contentae, fetum inprimis iuniorem ab externis iniuriis defendunt, praesertim quamdiu adhuc vis aquarum pondere fetum contentum superat?

- (d) Haec similitudo vero penitius indaganda est. Ovarium Gallinae variae magnitudinis, ovis obsessum est, et quidem nudis absque albumine. Ovarium in foemina quoque variae magnitudinis ovis obsessum est, et quidem etiam absque circumfuso albumine. *Cum ovis piscium summam affinitatem habent* (HALL. l. c. p. 129.) *His enim pariter duae membranae sunt et humor intus crystallinus absque vitello* STENON. *myol. spec. p. 146.* Intelligendum potius esse puto, vitellum absque albumine, cum albumen non sit quam humor aliquomodo nutritius, et receptaculum vitelli. Vitellum vero proprie constituat materiam ex qua animal fit, siue eius prima rudimenta. Colorem ouulorum vero ad rem non facere, ex eo patere videtur, quod in quouis fere subiecto differat. *Sunt enim alias plena liquore ex luteo pellucido, alias turpi opaco, alias mucii simili. Sero lactis comparabat* VESALIUS, *et*

*et in hystericis croceum, viderat  
p. 658.*

Porro rarum non est, duplex vitellum vni eodemque ovo inclusum inueniri. Alterum vitellorum semper maius, et perfectius, alterum vero minus et imperfectius deprehenditur. Nec absurdum est credere idem in humano ovo accidere posse. Proculdubio hinc oriuntur fetus connati, aut monstrosae aliae fabricae. Veri gemelli in contubernio non viuunt, sed vtrique sua propria data est camera in eodem domicilio. Porro non inepte concludendum esse autumo: quod quo propius monstrum a perfecta fabrica abest, eo perfectius quoque prae-exitisse vitellum, et contra. Ita etiam factum esse credo, vt vitellum futurae tum temporis *Elisabethae Schorlings*, aliud minus et imperfectissimum in contubernio habuerit, quodque se intra integumenta abdominis *Schorlings* receperit, ibique debilem pedunculum alicui parti insinuauerit. Hoc demum monstrum contubernale, vel potius intra abdominale tam diu incrementa coepit, donec carceri augustis nimium cancellis circumscripto

scripto diutius immorari non potuit, et per modum abcessus sibi viam strauerit. Vidi nuper *Schorlings*, et hac occasione eandem examini iube-  
ci. Omnibus laboribus rusticanis absque vlllo incommodo vacare poterat, et integerrima fruebatur sanitate, et Tributum lunare consuetis sibi temporibus soluit. Quo ad locum vlcera: subter difformi cicatrice, quae quodammodo marsupium referebat, cernere contrectando poteram, aliquot frustra, pruni maturi magnitudine, molliuscula, substantiam carneam aemulancia, indolentia tamen. Ipsum marsupium autem nihil aliud continere videbatur. Intestina in cauitate marsupii tangi nullo modo poterant.

(e) Ad ouum ex ouario soluendum, et ad vterum ferendum, semen masculinum non requiritur. Sufficit summus libidinis gradus. (\*). *Homines enim utriusque sexus, secus quam bruta* (nondum fatis constat. Mihi saltem notum est, equos pariter ac equas, pollutiones pati, in-  
primis

(\*) qui in ficcioribus post ejaculatum sperma demum ingruit.

primis vero tempore concupiscen-  
 tia, et Vere. Item teste quotidiana  
 experientia gallinis consuetum est,  
 vbi tamen ouum, absque galli cum  
 gallina coitu, ex ouario absumptum,  
 in Uropygio diutius immoratur, cru-  
 staque testacea munitur.) *animalia*,  
*in somniis eadem tentigine adficiuntur*,  
*quam per vigiliis sentiunt, et*  
*perinde semen frugiferum viri eiiciunt,*  
*ouaque sua ex ouariis mulieres, uti*  
*in robusta et legitima Venere. Ita*  
 KERKINGIUS fieri credit referenti-  
 bus etiam virginibus antropog. p. 3.  
 et DRELINCOVRTIUS perioch. 19.  
 et oua cum mensibus egesta GARMAN-  
 NUS habet, in epist. de ouo. GOVEY  
 ex sola voluptate delabi in uterum,  
 ibique fecundari, ut etiam clystere  
 irritatae, aliquando vesiculas peperer-  
 rint scribit p. 76, 77. in versione D.  
 Hoffmanni. Paitonus eadem ratione  
 oua matura, absque semine masculino  
 de ouario solui, inque uterum descen-  
 dere credit. Discorsi IV. p. 82. 83.  
 Virgo lasciuior ouum peperit cum  
 mensibus, BRENDDEL de Embryone  
 p. 36.

(f) Ouula constant ex lympha facile  
 coagulabili. Maturiora maiorem  
 proni-

pronitatem ad coagulum habere facile quisque comprehendet.

Sub praeparatione iam ad coitum, determinatur maior sanguinis et spirituum in vtrisque quantitas versus genitalia, adeo vt viro penis, feminae vero genitalia externa, et *ouaria*, ante *Venerem macra*, *Valisner. C. IV. n. 14.* rigeant, et omnes partes, prout *Harueius demonstrat maiores fiant* et ambo impatienti expectatione flagrent. Sub ipso opere adfluxus acceleratur, sanguis maiorem caloris gradum adipiscitur, et venit in minimis vasculis in conspectum *VERHEYN II. p. 314. SBARAGLI scep. p. 300.* inprimis spermaticis qui in ovarium accedunt. *Graaf. T. XVI.* Neruorum systema oscillat, spiritus volatilifantur, vt inter haec nescio quem voluptatis sensum percipiant, praecipue foeminae sub prolifero coitu, tentigine, et quasi conuulsionum dulci genere succumbentes.

Ouulum accipit sub hoc impetu non modo maiorem quantitatem particularum nutritiarum, sed etiam quod absouum mihi non videtur, aliquam

D fluidi

fluidi neruei portionem ex propagini-  
bus, *quarum BERGERVS p. 456. meminit.*  
Moles ouuli augetur vt capacitatem  
lutei corporis superet. Dum haec  
fiunt cogitur lymphæ in quoddam  
coagulum, a maximo caloris gradu,  
quem homo absque gangraenae me-  
tu diutius sustinere non poterit. Et  
hoc quidem punctum formationis  
embryonis esse autumo, ac primæ  
fibrae origo.

Hucusque omnia fiunt citra seminis  
masculi coadiutorium. Ouum, ab-  
reptum, per tubas ad vterum dela-  
tum autem nutritione hætenus ca-  
ruit. Adest itaque hoc scopo masculi-  
ni seminis quantitas, cuius aliqua  
portio a petiolo oui attrahitur, et ouo  
insinuatur, vsquedum petiolo substanti-  
æ vterinae adfixus, nutrimentum ex  
hæc scaturigine suctum ferre et fiens  
homuncio sanguinem in suam naturam  
mutare possit. Egere videtur fragi-  
lis debilisque iste contextus, per sub-  
tilissima testium vasa filtrato et in ve-  
siculis spermaticis digesto humore,  
non solum vero quo nutriatur sed et-  
iam quo primus ab admisso liquido  
nerueo feminino, motus, per noua sub-  
sidia quæ masculino spermati imixta  
sunt spirituosa sustineatur. Obiicere  
quis

quis possit: cum ad ouum ex ouario soluendum, et idem ad vterum ferendum determinatus tantum libidinis gradus requiratur, accidere saepissime numero posse, vt in lasciuioribus ouulum ex ouario soluat, in vterum deferatur, ibique petiolum infigat atque hoc modo ad instar Lucinae incrementa capiat. Respondeo autem: Experientiae correspondere a determinato libidinis gradu ouulum solui et ad vterum ferri posse, veruntamen nullum adhuc prostare absque viro conceptum proliferum. Requiritur enim masculinum semen in vtero praesens, quo nutriatur et foueatur ouulum. Absque illo, ouulum subuentaneum vel mola audit.

Altero loco obiici potuerit: Quifiat vt embryones in alterutra tubarum, aut in cauitate abdominis inuenti fuerint, cum tamen secundum meam hypothesin, semen ad ipsa ouaria per tubas non feratur?

Respondeo. Foetuum tubariorum, vel eorum in cauo abdominis hospitantium existentiam me non negare, sed vitalem nullibi vnquam, et si fuerit nullum perfectum inuentum fuisse,

D 2

se,



fe, sed hos praeternaturales conceptus a morboſis fabricis tubarum proficiſci. Nunquam enim ab eo quod raro fit regula formanda. Occurrunt tubae iuſto ampliores (\*) aequae ac anguſtiores (\*\*) immo penitus imperuiae. Quid, quod Ruysch (\*\*\*) viderit *ſanguinem continuo ductu in utero, et tubis, et ad ouarium fluxiſſe*. Numne poſſibile ouulum ex utero, praeparata via, ad tubam reuehi? quod declarare videtur caſus ille, vbi (\*\*\*\*) placenta in utero, embryo vero extra illum in cauitate abdominis haefit.

Sed nimium foret omnes rariores circa conceptum caſus per meam hypotheſin rectificare velle. Naturae inexhauriendae ſunt viciffitudines, et omnis in aliqua parte manca eſt hypotheſis. Mihi ſaltem ſuffecit  
peio-

(\*) Hall. comment. in H. B, prael. Tom. V, p. II. p. 100, not. c.

(\*\*) ib. p. 102. not. c.


(\*\*\*) Muſaeum rar. p. 127.

(\*\*\*\*) Medical obſeru. and inquiries by a Society of ~~the~~ Phyſicians in London. 1767.

10f

peiozem reliquis in medium non portulisse.

Anne inter conceptum et electricismum quaedam cogitari potest analogia?



## OBSERVATIO XVI.

*De nonnullis morbis, solis externis remediis sanabilibus. Primo de Diarrhoea suffimigio sananda.*

Accidit saepe saepius quod Medico aegri tradantur, omnia e penu medicamentorum ore assumendorum, abhorrentes. Et cui sane Medicorum non occurrunt Delicatulae, quibus ima sui ventris mouentur quoties de medicamento hauriendo sermo est. Prudentia suadet cominus eminusque condescendere, et cum pueris non nunquam ludere non erubescere, si tantummodo sanitas vitaeque aegrotantium seruatur. Et quis non norit quam difficulter infantibus medicamen paretur, gulae ipsorum blandiens, et morbo aduersum; et dubito fore Medicos, quibus non in votis sit plura possidere medicamina, externe tantum adhibenda, morbos tamen

D 3

aeque

aeque bene fugantia. Et hinc maximo-  
pere gauisus sum, me quaedam habere,  
non noua quidem, certe tamen non omni-  
bus cognita, lectori communicanda.

Rarum non est, quosdam longa diar-  
rhoea laborare, indeque contabescere. In-  
ter plures huiusmodi aegrorum puer in  
memoriam incidit triennis, per sex men-  
ses et vltra diarrhoea suberuenta laborans,  
indeque tantum extenuatus, vt Sceleton  
ambulans vocari potuisset. Parentes par-  
tim damnabili amore erga filiolum eum-  
que vnicum, partim vero summa egestate  
moti, non alia quam anilia morbo oppo-  
suerant remedia, et maximam partem su-  
perstitiosa. Tandem aliorum suasu aeg-  
rum corpusculum ad me aducebant, in-  
fimum vero rogabant, ne medicamentis in-  
tro sumendis morbo obuiam irem, quo  
nihil aliud ex me quaerere videbantur,  
quam mortis praesagium. Voluebam ani-  
mo, anne externa, balnea, infusus, vel  
alia huius commatis remedia in vsum vo-  
cari possint, et, cum angustissima res  
parentum esset, vel vilissima comparan-  
da. Incidebam in Therebinthinam, cu-  
ius Encomia Bagliuius habet. Compone-  
bam itaque maiores pilulas per admixtum  
Iridis florentinae puluerem, atque ter in  
die vnam prunis iniicere, et puerum lon-  
giore

giore pallio circumdare; ita curabam, vt surgens fumus omne circumire corpus, facie excepta posset. Vix credibile est, quod hac simplicissima methodo pusillus sanitatem recuperauerit, nec alio medicamento indiguerit. Mouet autem Therebinthina vrinam.

Alius pueri scrotum aqua repletum et infarctum erat tantum vt volumine caput aequaret, quam therebinthinae fumus pariter dispulit. Et sic sane in pluribus fecit fatis.

*Secundo. De spiritus Threbinthinae externe adhibiti, in catarrho puerorum efficacia.*

Nihil infantibus, pusionibusque, impletione pectoris, catharrhum vocant, est familiarius, in suffocatiuum facile transeunte. In hoc morbo penuriam vrinæ semper obseruabis, quæ forsan ob mutuum cum pulmonibus renum commercium eo defertur, salina sua acrimonia irritat, tussim prouocat, febrem incendit, atque morbum mirum in modum exasperat. Saltem mihi multoties obseruare contigit, pusionem praesente hoc morbo vix vna tantum vice vrinam mittere, cum in naturali statu idem quotidie quater vel sexies

107  
 minxerit. Et ex diminuta hac excretionē, caeteris paribus praedicere semper poteris catarrhum futurum. In hoc, inquam statu, optime et quam celerrime aegro, interna remedia ut plurimum fastidiente succurritur, si regioni lumborum aliquoties in die, aliqua spiritus therebinthinae portio inungatur. Non multum post sequitur frequentior et copiosior mictio, praesertim si thorax camphora munitur, et ano clyster infunditur, cum omnium symptomatum luculentissima remissione. Ego sane in aliis morbis, ubi tenuis et pauca mingitur vrina, cataplasmate therebinthinato renes emollio, hocque modo, aut morbos ante eruptionem praepedio, spasmus sopio, aut criticam per has vias defaecationem adiuuo. Contingit vero oppido non raro ut in tenuioris pellis pustulibus, ab illito spiritu exiguae pustulae concitentur, prurientes et dolentes, utique si noua spiritus portio superinungatur. Hoc malum vero butyrum recens non fallitum aut lactis flores extemplo leuant.

*Tertio. De Otagia succo rutae hortensis profliganda.*

Infantes prae ceteris hanc dolorum Tyrannidem experiri consueuerunt, eo magis profecto! miserandi, quum vix quem subit

bit infantem ob aurem maleadfectam eiu-  
 lare, immo comitalem morbum pati.  
 Difficillimus est cognitu, et in pusionibus  
 vix alibi signa vel eius suspicio habenda,  
 quam ex aliorum absentia. Praeterea ca-  
 put ad alterutram latus vertunt, dolen-  
 tem aurem quasi retro abscondentes. Non-  
 nulli alii digitum intrudunt, alii os aperi-  
 unt, alii rursus aperire recusant, vt per  
 haec suspicio difficilis dentitionis subna-  
 scatur. Mihi ipsi tum temporis iuueni con-  
 tigit, bigam dolorum Odontalgiam et Ota-  
 lgiam seorsim tamen experiundi, et si mi-  
 hi licuisset, tristi solatio, ex hisce duobus  
 minus eligendi malis, ego certe odontal-  
 giam maluissim. Hunc autem morbum  
 quantus ille et ferox sit, in momento qua-  
 si fugat, multoties expertus sum, succus  
 rutae hortensis recenter expressus, gossi-  
 pio exceptus et auri inditus.

*Quarto. De alui obstructione fotu brassi- 11*  
*cae crispae esculentae reseranda.*

Quodsi aluus officio suo obliuiscitur defu-  
 rgi, et aegri ex inuisa Verecundia clysteres  
 repudiant, aut consueta supellex non prae-  
 sto est, omnem paginam brassica crispa  
 esculenta decocta absoluit, quando nimi-  
 rum vapor exurgens ano admittitur.  
 Certe iis in casibus, vbi omnia remedia  
 D 5 ipsi que

ipsique clysteres fatiscabant omne tulit punctum. Excipienda autem probe est obstructionis illa species quae a voluulo proficiscitur. Vtiliter vero adhibetur vbi haemorrhoides exitum praescindunt.

*Quinto. De Camphorae in Podagra praeclearo usu.*


*H*  
Pessime semper me vñit, Podagram nonnullos amicorum impune, non cogitantibus ipsis, et non raro inter animi corporisque delectationes inuadere, eosque per plures hebdomades publico amicisque subducere. Aliqui horum fateor, in otii portum tantum confugere, et vectigal doloribus, et frugalitate pendere videntur, cum alii idem malum, distorsionibus membrorum contumacissimis atque dolentissimis nuncupant celebrantque salutare. Summo venerationis cultu, plurimi, et sacram habent Podagram, et tamen Anacreontem Marechallum Confoederationis eligunt, eiusque signa sequuntur. Verum Consul quidam \*\*\* desciiuit a foliis, vulgaria et solita contempnit, instinctuque sacro surrexit excelsior. Hic cui perinde est effraenam compescere turbam, in Curia legibus Ciues, et in Chymico laboratorio tria naturae regna ignis torturae subiicere, alto spreuit supercilio vetustate honorabilia  
poda-

*/t*

podagrae iura, quo eodem animo firmo-  
 que pectore opus erat ac Dictatori acri-  
 bus Tribunorum postulationibus resisten-  
 ti. Hic, inquam, cui aetas vires, ani-  
 mum vero frustra eluere conatur, se plu-  
 ries iam Podagrae seruitio liberavit, inter  
 eius initia statim tibialia sua camphora per-  
 fricando, eaque quo ad fieri potuit cam-  
 phorae grumis adimplendo, atque aliquot  
 eius grana deglutiendo. Hoc inquam mo-  
 do nonnunquam altero iam mane paro-  
 xisimum profligavit absque vlllo sanitatis  
 detrimento. Nec video cur Podagrae par-  
 camus, morbo specificae quidem suae in-  
 dolis, nec tamen vt vidimus inuincibili.  
 Alius mihi innotuit Podagricus non solum  
 sed etiam Chiragricus, cui consuetum est  
 inter eius initia, pluribus hirudinibus san-  
 guinem e partibus laborantibus euocare,  
 quo experimento cito liberatur. Sed prohi-  
 dolor! in Medico non est praeconceptam  
 de huius morbi salubritate opinionem de-  
 struere, cum eius subiecta in paroxismo  
 et declinatione vtplurimum malint sibi  
 otium dare, et vbi conualuerint Vino non  
 modo eluere curas sed etiam eousque bi-  
 bere vt deprimantur si non mergantur,  
 quam hisce mensuris festis diebus carere.

OBSER-





## OBSERVATIO XVII.

*De infortunio ex adhibito mercurio sublimato corrosiuo.*

*Sicut mercurius prouide praepratus (et adhibitus) diuinae manus instar est; ita improuida praepratio (et adhibitio) proxima via esse solet ad Superos (\*). Ita BETRUS BORELLUS (\*\*)* obseruauit scabiosum, cum infusione mercurii sublimati corpus lauasset, post paucas horas, praeter alia symptomata, lypothymiis adeo fuisset accessitum ut mors proxima fuerit. Et G. C. SCHELLHAMMERVS (\*\*\*) historiam habet de Iuene qui post usum mercurii sublimati corrosiui in aqua rosarum soluti, non tantum insignem partium quas liquor tetigerat inflammationem, sed et tantam Cephalaeam expertus est, ut caput supra puluinar non citius eleuaret, quam vertigine et deliquio animi corripereetur, et epilepsiam instare omnes pertimescerent. Et profecto! scire refert venenorum anti toda, et in presenti semper memoria ea tene-

(\*) Thom. Bartholin. Epist. Cent. IV, p. 74.

(\*\*) Centur. II, Obs. 92. p. 188.

(\*\*\*) Diff. de Capitis dolore Cap. II, §. 13.

tenerè, cum ex improviso huiusmodi aegri Medico tradantur, et experimentum periculofum fit. Signa huius affumpti veneni specifica non habentur, fed sunt reliquis, praeter promptitudinem qua aggreditur, communia.

Ego puero duodecenni dederam, lue venerea infectato, mercurium sublimatum corrofiuum in fpiritu frumenti folutum, et quidem ita, vt bina eius grana in fpiritu frumenti octo vnciis laterent. Perbene illum tulerat, cum dofim iam alibi a me dictam non transgreffus effem. Morbo tum pene radicitus profligato, puerum folito modo, infuso Mannato purgabam. Cum vero ille quaedam inde fentiret tormina, exemplo patrum, quibusuis aegritudinibus, bonos et reiteratos hauftus fpiritus ardentis opponentium, fpiritus mercurio fublimate corrofiuo impraegnati vncias quatuor vel fex, binis tribusue vicibus, et breui interiecto temporis fpatio ebiberat, atque hoc modo tormina abigere conatus erat. Verum increbefcebant cruciatus, cardialgiae accedebat fpecies cum fingultu, et aluus conftipabatur. Omnia incipiebant tumere, ab extrauafata aqua inter cutem, fcrotum penisque. Faciei tumor occludebat oculos, lingua pariter erat tumida, cum adiacentibus glandulis.

lis. Penitus indagabam in huius truculentae scenae causam, et fidelis ancilla, quam petulans ille fletu argentoque corruerat, mihi reuelabat quae e puero mortis proximo expiscari haecenus frustra animus eram. Tormentor quidem nunc experierat sed vera anasarca nata erat, et quod pessimum! Venenum adhuc in corpore latebat.

Implebam itaque puerum per vtrumque os decocto hordei perlato et butyro non salito, et hoc modo inuoluebam venenum. Quo facto porrigebam sic dicta pseudoëmetica, aquam nimirum calidam cum butyro, cum vero hocce euporisto non moueretur, dabam tartarum emeticum cum crytallo montana ex oleo amygdalarum dulcium, Wedelio in hisce casibus familiare, et a fennerto quoad crytallum montanam tanquam antidotum mercurii (\*) et Bezoar celebratum. Post haec adhibebam diuretica alcalina, lixiuia imprimis cinerum Genistae cum vino, et decocto radicum Petroselini et Pimpinellae parata, balnea sicca, therebinthinae fumum, et inunctiones olei oliuarum. Quibus per octiduum per vices adhibitis conualuit perfecte.

Alius

(\*) De morb occult. p. 283. edit II,

Alius puer affumfit per errorem Tin-  
cturam mercurii praecipitati rubri cum  
aqua forti, paratam, qui solo lacte multo  
oleo nupto fanitatem recuperavit.



## OBSERVATIO XVIII.

*De corticis peruuiani mercurio nupti, ad  
febres rebelles virtutibus.*

**A**d quartanam dudum iam B. Hoff-  
mannus, mercurium in Chinae con-  
fortio achibuit, et ego multoties comperi  
egregii vsus esse in quartana, quae altos  
in viscerum penetralibus egit radices;  
requirit tamen, candide monente Hoff-  
manno, corpus paulo robustius, cum  
exacto in Diaeta regimine. Licet etiam  
molestam quandoque, lenem mouerit sa-  
liuationem, ex voto tamen cessit, febris-  
que rebellis fuit expugnata. Sequenti au-  
tem vsus est formula:

Rec. Pulv. cort. peruv. finiff. drachm.  
tres. regul. antim. medic. drachm.  
duas. Mercurii dulcis fideliter pa-  
rati Croc. mart.

Arcan. duplicat Myns. optime ab  
acido liberati, ana drachm. vnā  
Olei destill. Menth. gutt. quatuor.

M. F.

Td  
/d

ld

ld

M. F. pulv. sed mercurius dulcis non terendus est cum puluere, sed cuspidē tantum permiscendus cultelli.

Huius pulueris exhibetur drachma dimidia vel tota cum roob Sambuci et juleporarum in electuarii formam redacta, mane, vespereque, diebus vacuis.

Necessitate in quibusdam coactus fui huius miscelae usum etiam ad alias febres extendere, imprimis vero ad illam, quae post abactam tertianam duplicem remanet, et Typum hemitritaeae adipiscitur. Absoluto nimirum vno paroxismo mansit in quibusdam ad nouam febris accessionem vsque stupor quidam, lassitudo vel temulentia; quae Symptomata iterum vices mutabant cum excellentē hilaritate et loquacitate. Inter haec genae incipiebant rubescere, et pulsus ex meti grandescēbat. Huius farinae febres facile in hecticas et hydropes transituras frustra, etsi non omiſsa Venae sectione, cortice peruviano solo oppugnatum iui. Hisce aegris dabam apyrexias tempore omni bihorio dimidiam scrupuli partem, et eo vsque pergebam, dum gingivae videbantur mutari, et aeger sputaret. Nec ultra hoc stadium opus erat febrifugo, sed ea saltem qua egebam ad finiendam lenem saluationem, medicina.

Febres

11d

1i

1c




saltem videtur in eo huius immorigerae febris causa, quod nervi maiore irritabilitate et sensibilitate quam par est praediti sunt. Huius vero causa me saltem iudice latet aut in defectu mucilaginosi liquidi nervos praesertim circa eorum fines ambientis, aut in eiusdem depravatione. Si enim a iuuantibus et nocentibus ad causam morbi concludere licet, in pluribus quam luculentissime vidi, quam pessime aegris hoc morbo detentis consulatur, si roborantibus, chinatis, martialibus, vel ipsis Pymontanis aquis tractentur, quae omnia tonum nervorum magis exaltant, et ad maiorem oscillationem disponunt. Contra vero obseruavi, quod lubricantia, demulcentia, et mucilaginosa, loco priorum adhibita, imo stupefacientia minori praebio data omnem absoluerint paginam.

Hac, inquam, febre laborabat Nobilis quaedam, debilioris texturae, et fluore albo diu vexata. Per annos iam illustrium medicorum, absentium tamen, consilio, chinatis martialibus imo ipsis Pymontanis obuiam itum erat, sed incassum. Econtrario semper male habebat huius commatis remedia, quid, quod maiorem inde molestiam lucro haberet. In hoc rerum statu, aut desistendum, aut aliud quoduis remedium eligendum erat. Idcirco

co

co non dissentientibus prioribus medicis, proponebam decoctum Visci quercini, et lactis vires experiri. Adornabam autem sic; vt vncia vna visci quercini cum drachmis duabus cornu cerui et Cinamomi vna, ex aquae quartariis duobus, ad quartae partis consumptionem, coquerentur. Hanc portionem quotidie dabam ebibendam, loco ordinarii potus, et non nisi lac recens, et ex lacte parata fercula admittebam. In principio curae, quouis quarto die rhabarbari scrupulum vnum dabam. Et hoc modo redibat in integritatem, adeo vt ab illo tempore ne hilum pristinorum molestiarum habuerit ferendum. Plures adducere historias caedet.



## OBSERVATIO XX.

*De Visu sesquiduplicato.*

Inter rariora visus vitia merito *visus sesquiduplicatus* numerandus est. Minus rarus est duplicatus, quem aliquoties iam obseruaui. Ita autem intelligi cupio. Si nimirum vno eodemque intuitu, idem obiectum, verbi gratia, duarum vlnarum altitudinis, et triginta passibus remotum, idem in statione quindecim tantum passibus remotum et vnus vlnae simul visitur.

E 2

Adeo



Adeo vt verum obiectum, in vera sua distantia, ideale vero quoad distantiam et extensum, propius et dimidio minus percipiatur.

Maximo suo incomodo tulit hunc affectum per Mensem Senex quidam, qui alias integerrima fruebatur sanitate, et quem vilus acies alias nunquam deseruit.

Cum itaque me non lateret, ex vitio primarum viarum saepenumero oculos in consensum trahi, et non vno modo inde adfici, non omissis neruinis et roborantibus, ad ipsum oculum dirigendis, et expurgato quidquid saburrae in intestinorum latebris praesto esset, martialibus, in cinamomi, et Valerianae connubio malum sanavi.

---

OBSERVATIO XXI.

*De enormi haemorrhagia per aluum, alumine cohibita.*

**V**ir triginta annos natus, alias sanissimus, postquam pro virium ratione, dispar et praegraue pondus tulerat, subito febre inuaditur, cum obtuso regionis hypochondrii dextri et Sinistri, dolore, et immo-

immobilitate membrorum. Ego vnum alterumque diem expectando magis quam agendo terens, nihil aliud dabam, quam Arnicae infusum cum pauca Rhabarbari portione, dum intermixtus faecibus aluinis sanguis grumofus abunde in conspectum veniret. Pergebam tamen secta prius vena, infusum Arnicae cum rhabarbaro bibendum dare, additis tamen cuius portioni aliquot Verbasci flosculis. Inter haec vero sanguinis profluuium non minuebatur. Quam ab causam Vitrioli mar-  
 tis cum coralliis rubris <sup>granum vnum</sup> ~~granum vnum~~, secundum GMELINI praeceptum, ter in die e copioso vehiculo propinabam. Minui abhinc videbatur haemorrhagia, adeo ut bis, semel, aut plane non per diem aluum deponeret. Verum enim vero cum fluxus ille iam aliquot diebus steterat, praegredientibus leuibus torminibus de nouo et duplicata quantitate propullulabat, non sine animi deliquiis et omnimoda virium prostratione.


Adscendente iam quarta septimana, vires aegro, mihiq; noua subsidia deficere videbantur, cum ob notabilius vas sanguiferum ruptum, haecenus frustra operam impendissem illud constipandi. Nec coerceri constanter poterat, aqua burfae pastoris, nec millefolio, nec vitriolo mar-

tis, nec fotu ex aceto vini vitriolo et Gal-  
lis impraegnato, nec tandem enematibus  
subadstringentibus. Ea propter cum in-  
cipiti versaret aeger, medicamento an-  
cipiti etiam locus dandus erat.

Incidebam in alumen, et dabam eius  
grana sex, ter in die, admixto simul vno  
grano massae pilularum de Cynoglossa, ex  
aqua Menthae, ad praecauendum vomitum.  
Quod tandem medicamentum satisfacit.  
Adhibebam tum enemata vulneraria, inprimis e Verbasco, Hyperico et  
Sannicula parata, et iuscula glutinosa,  
cum pauca balsami de Copaiba portione.  
Et sic paulatim recollectis viribus integre  
restitutus est.

In alia foemina vomitu cruento de-  
tenta vitriolum martis peregre se gessit.


In alio vero superueniebat Eresypelas  
faciei cum delirio, qui fato cessit, etsi no-  
tabilem sanguinis copiam, partim vomitu,  
partim vero e vena secta amisisset.



## OBSERVATIO XXII.

*De hernia Meningum.*

**H**uncc rarissimum affectum vidi in puella, non sine durissimis matris doloribus in lucem edita. Statim nimirum a partu parentes praeternaturalem tumorem percipiebant, in illo cranii loco, vbi futura sagittalis cum lambdoidea confluit, magnitudinis oui gallinacei, quoad longum est dissecti, renitentem, et sub inspiratione flaccidiorem. Cerebrum autem in ipso tumore, contentum non fuisse, ex eo liquere videtur, quod pusio nullius doloris, aut cuiuslibet aliae alterationis signa ederet, dum tumor premeretur. Spiritu neruino imbuebam lintea, et tumorem lamina plumbea tegebam. Postquam per mensem et vltra laminam gesserat. Tumor disparuit. Nunc acutissimo gaudet iudicio: D. Willi parem enarrat casum in nouis Actis naturae curiosorum.



## OBSERVATIO XXIII.

*De fistula thoracis cum puris exspuitio-  
ne felieiter sanata.*

*Virgo iustica inter saltandum in corpus  
quoddam durum prominensque, ita  
irruerat, ~~et vehementius~~ regione lumbari  
~~in corpus istud irrueret,~~ ~~et quidem~~ vt  
exanimis caderet in pavementum, et su-  
premam finisram mammam aliquo loco  
fortius contunderet. Interim omnes  
quae ipsi ~~superfuit~~ vires corripiebat, at-  
que de nouo choreas rusticanas inibat, et  
rurale suum corpus non quidem ad nume-  
ros sed ad nutum naturae tripudiando mo-  
uebat, vsque dum membra ipsam vltro ferre  
recusarent. Hocque modo cum acceptam  
contusionem lumborum et mammae spre-  
uisset, sensim sensimque ambo loca pus con-  
ceperant, et quidem sic vt mutuuum commer-  
cium, inter mammam finisram et regio-  
nem suprarenalem eiusdem lateris esset.  
Cum demum inde contabescere videretur,  
et materiam purulentam per os egerret,  
meo tandem vsa est consilio.*

Locus ille in lumbari regione mox supra  
vltimam dorsi et primam lumborum ver-  
tebram, erat tactu mollis, planus, vel  
magis

magis concavus, quapropter ego lato vulnere istum aperiri curabam. Musculi subiacentes adeo a latente pure erant consumpti, ut non nisi fibrae quaedam tendineae, tenui et resoluta carne emarginatae restarent. Nerui lumborum tam egregie apparebant, ut nitidiores vix meminerim videri. Emanabat illico haud parua tenuioris puris portio, quod autem puris hinc inde adhuc adhaerebat, aut ope spongiae, aut lintei carpti eximebamus. Caeterum solis turundis ex carpto linteo, Tinctura vulneraria imbutis, cavitatem implebamus, et emplastro tegebamus. Quo ad mammam vero sinistram, inueniebamus in eius superiore parte vlcusculum, cuius labia reflexa erant, rubentia tamen, et eodem pure scadens. Inquirebam penitius in eius naturam, cum ex labiorum habitu portendi quid latere, haud inepte concludendum esset. Iniicere hunc in finem curabam aliquam Tincturae vulnerariae partem, quae illico se in sinum quendam recipere videbatur. Immittebamus ideo ceram filatam, quae longitudine pedem superans obicem nondum inueniebat. Eapropter sex pollices longiori inquirebamus, et en! impingebat in locum vlceris supra dicti. Sinus adeoque principium erat in suprema mammae parte, et descendendo ad

ductum costarum reflectabatur ad marginem inferiorem scapulae, qua ulterius exporrectum erat in vlcus in lumborum regione. Iniiciebamus quotidie bis decoctum vulnerarium cum melle in superius orificium, postquam vlcus inferius multo carpto linteo adimpleueramus. Verum enim vero absconditi nobis erant aditus illi per quos pus thoracis cavitatem intrauerat; et hanc ob causam pluries quidem ast nunquam absque metu de paracentesi cogitabam. Cum tamen altero loco perenderem, pus in cauo pectoris praesens, inculpato etiam pulmone exspui et eliminari posse, naturae id negotium, per aliquot saltem tempus relinquendum, mecum statuebam. Interim vero nihil eorum omittebam, quorum virtus in moderanda puogenia, vel alterando ipso pure, mihi iam innotuerat. Praeprimis autem saepius in die dabam corticem peruuiinum elaeo Saccharo myrrhae remixtum et superbibendum decoctum sequens:

Rec. Herb. Sanicul. Mj.

Virg. aur. Mij.

Vinc. per vinc. Mj.

Rad. Pimpin. Sangvisorb ʒij.

Coq. in cereu. opt. Quartar. ij. ad consumpt. quartae partis. col. et expr. D.


Octauo

Octavo post horum vsu die, puris per os exspuitio penitus cessauerat, et vlcus pone lumbos non solum laudabili scatebat pure sed etiam latitudine minuebatur. Fascias adeoque canalem illum fistulosum comprimentes de die in diem arctius constringebamus, quo etiam nacti eramus, vt tertia hebdomade ne guttula quidem decocti vulnerarii in superius orificium immissi, per canalem amplius destillaret. Et sic, adhibitis deinde quae vlcus consolitare poterant medicamentis, perfecte conualuit virgo, quae hodie adhuc viuit et viro nupta est.

In alio puero rustico, qui post variolas abscessum in sterno acceperat, similiter vidi, puris per os exspuitionem, qui eadem via rediit in integritatem.

OBSER-





## OBSERVATIO XXIV.

*De testium obstructione Senibus familiari.*

Cum in vniversum senectus pauci tantum sint circuitus annorum, et cum ipsa tristi senectute subeant morbi; semper omni attentione dignissimam censui illam curam, quae ad solamen querulis senibus ferendum spectat. Patres enim familiis, atque Reipublicae expertos Antistites, ad summam vsque, quam humana natura attingere potest metam asseruare, quid dignius! et certe eo allaborandum habet humana industria studiumque, vt ii qui publicis sub curis consenuerunt, et nunc cani debilesque, nouis suffulciantur viribus. Inter plura vero incommoda, quae consumatam aetatem premunt, specifica illa imbecillitas est, quae a cessante spermatis fabrica ortum sumit. Sequior sexus, quantas patiatur molestias, quando flos perit, omnibus notum est. Contra vero nondum satis perspectum est, quomodo natura Senis alteretur, secretionis nobilissima specie cessante. Id saltem sciunt omnes, vocem pueri iuuenescentis mutari, faciemque tunc molli lanugi-

lanugine luxuriare, item vero non accidere si resecti aut destructi fuerint testes. Manifestum ideoque est: quodsi instrumenta vocis et geniturae tantum interest commercium, quantum apud plures Auctores notatum est, maximam etiam attentionem medentium, istam mutationem mereri, quam senes, tum temporis suscipere debent, quorum testes proliferum liquorem digerere obliuiscuntur; inprimis cum instrumenta vocis simul ad vitam sustentandam data sint, atque absque eius periculo morbo laborare, aut moleste adfici non possint: Committant autem cum pulmonibus, diaphragma, thorax, Larynx, aspera arteria, lingua, fauces earumque intertextae glandulae, coannae, nasus, gingivae.

Si ad habitum grandaeui corporis generatim attendimus, in vniuersum quidem fibrarum rigiditatem accusare solemus; quam vero partem primum vegeta mobilitas deferat, pauci admodum obseruationi dignum habuerunt. Scire autem refert vnde sint morborum primordia, si volumus nostra qualicumque prouidentia, caduco longiorem moram prorogare corpusculo. Necessario autem motus fluidorum in minimis vasculis,

culis, ceu a corde remotissimis primum perit. Eo corradiat quoque mea in tribus senibus instituta obseruatio, quorum tamen nullus flagellum impurae Veneris expertus erat. Vni, Sexagenario consuetum erat durioribus vacare laboribus; Non obstante tamen optima sanitate et athletico corporis habitu, obtuso dolore in alterutro testium inprimis tunc diuexabatur, quando celeriori gressu forte corpus mouerat. Concessa iterum corpori quiete, mutabatur iste dolor obtusus in rauicitatem, cum aliquali orthopnoea. Nonnunquam peius et atrocius erat malum, nonnunquam vero citius solito finiebatur. Interdum vero eiusmodi tormina vices Orthopnoeae suscipiebant, quae concusso testiculo superuenire solent. Verum uti robustiores leuius malum spernere solent, ita et hic, indignum remedio morbum per aliquot tempus duxerat, vsquedum pulmones manifestius adficerentur, ventris tormina exasperarentur, et testes tumorem conciperent. Cognito itaque malo, fomentis sopiebam dolores et dissoluebam tumorem, secta prius pedis vena, tormina enematis molliebam, atque Erysimi puluere pulmonibus succurrebam. Atque hoc modo ab interitu reuocabam senem.

Alter

Alter conquerebatur de dolore testis cum symptomate gonorrhoeae benignae haud absimili, raucitate et mucifera tussi. Adhibebam pariter Erysimi pulverem cum lactis sero, rasura cornu cerui clarificato, et paucam balsami Copaiuae portionem quotidie assumendam. Hisce quidem dolor testiculorum sopiebatur, effluxus cohibebatur et mucifera tussis leniebatur, veruntamen raucitas mansit.

Tertius vero meae curae tradebatur, cum nihil fere amplius tentandum erat. Biennium iam erat ac testiculus dexter iam incooperat dolere, et liquidum feminale destillare. Hisce malis se iunxerat urinae incontinentia, et phymosis, quae vero connata erat. Interim tamen malo inde noua tormenta adiungebantur, cum praefertim glans a continuo urinae stillicidio, et intermixto spermate arrodebatur. Tonus loquelae non solum erat mollior solito, sed etiam raucus. Hisce tum superueniebat scorbutica labes, arthritis et anomaliae haemorrhoidales. Quibus omnibus in senili corpore coaceruatis malis, ars cedere debebat.

Quo

Quo ad prophylaxin : salutaria duco se-  
nibus, balnea et infessus, quibus impetra-  
ri posse autumo ne haec secretio praema-  
ture nimis pereat. Fotā enim caloreque  
solidis partibus gracilitas, fluidis vero li-  
quiditas conciliatur.

F I N I S.
















RVCTIONE ETC. 77

em vero non accidere fuerint testes. Ma- quodsi instrumenta ntum interest com- pud plures Auctores nam etiam attentio- m mutationem me- m temporis fuscipere estes proliferum li- bliuiscuntur; inpr- ita vocis simul ad data sint, atque o morbo laborare, on possint: Commi- lmonibus, diaphrag- aspera arteria, lin- ue intertextae glan- s, gingivae.

grandaeui corporis us, in vniuersum gidityatem accusare fo- partem primum ve- at, pauci admodum habuerunt. Scire sint morborum pri- nostra qualicunque o longiorem moram lo. Necessario au- m in minimis vas- culis,